

Lucilius

T1 Lucilius *fr.* 1326-1338 Marx

uirtus, Albine, est, pretium persoluere uerum
quis in uersamur, quis uiuimus rebus, potesse,
uirtus est, homini scire id quod quaeque habeat res,
uirtus, scire, homini rectum, utile quid sit, honestum,
quae bona, quae mala item, quid inutile, turpe, dishonestum,
uirtus quaerendae finem r<e> scire modumque,
uirtus diuitiis pretium persoluere posse,
uirtus id dare quod re ipsa debetur honori,
hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,
contra defensorem hominum morumque bonorum,
hos magni facere, his bene uelle, his uiuere amicum,
comoda praeterea patria<i> prima putare,
deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.